An. et vol. CIV 7 Septembris 2012 N. 9

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

TYPIS VATICANIS — MMXII

Index huius fasciculi

(An. CIV, N. 9 – 7 Septembris 2012)
Mensile – Tariffa R.O.C. – Poste Italiane S.p.A. – Spedizione Abbonamento Postale D.L. 353/2003
(Conv. in L. 27/02/2004) art. 1 comma 1 – DCB Roma

ACTA BENEDICTI PP. XVI

ACTA CONGREGATIONUM

Congregatio de Causis Sanctorum

Congregatio pro Episcopis

DIARIUM ROMANAE CURIAE

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

Administratio: Libreria Editrice Vaticana – Città del Vaticano – tel. 06.698.83529

Singulis mensibus Commentarium prodit ac quotiescumque vel necessitas vel utilitas id postulare videtur

Mensile – Tariffa R.O.C. – Poste Italiane S.p.A. – Spedizione Abbonamento Postale D.L. 353/2003
(Conv. in L. 27/02/2004) art. 1 comma 1 – DCB Roma

Pretium subnotationis a. 2012:
in Italia, Euro 60,00 (c.c.p. 00774000) – extra Italiam, Euro 85,00
Pretium unius fasciculi: Euro 10,00
Volumen completum post annum 1909: Euro 85,00
Libraria Vaticana subnotatoribus fasciculos Commentarii mittere potest etiam via aëria, charta indica impressos

An. et vol. CIV 7 Septembris 2012 N. 9

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

Directio: Palazzo Apostolico – Città del Vaticano – *Administratio:* Libreria Editrice Vaticana

ACTA BENEDICTI PP. XVI

LITTERAE DECRETALES

Quibus Beato Stanislao Kazimierczyk Sanctorum honores decernuntur.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

«Quam pulchri super montes pedes annuntiantis, praedicantis pacem, annuntiantis bonum, praedicantis salutem, dicentis Sion: "Regnavit Deus tuus!" (*Is* 52, 7)».

Divina Providentia sanctos viros sanctasque mulieres omni tempore mittere consuevit, qui eius amorem humano generi per praedicationem vitaeque sanctitatem annuntient. Praedicationis quidem ministerium et virtutes beati Stanislai Kazimierczyk, sacerdotis Congregationis Sanctissimi Salvatoris Lateranensis, unicuique nostrum praeclaro sunt exemplo sacerdotalis religiosaeque vitae atque manifestationis Dei bonitatis.

Beatus Stanislaus anno MCDXXXIII natus est a parentibus Matthia Sołtys et Hedvige, ferventibus catholicis, a quibus Casimiriae, hodie intra Cracoviae fines, accuratam accepit christianam educationem. Paroecialem primum frequentavit scholam «Corporis Christi», deinde lauream in theologia consecutus est apud Studiorum Universitatem Iagellonicam Cracoviensem. Anno MCDLVI in Praeposituram ingressus est Congregationis Sanctissimi Salvatoris

Lateranensis, ubi religiosa vota nuncupavit. Presbyter ordinatus, praedicator nominatus est eiusdem ecclesiae, in qua catholicae religionis rudimenta didicit, in paroecia videlicet « Corporis Christi ». Munera deinde explevit lectoris, magistri novitiorum atque alterius a priore communitatis. Magno zelo sibi concreditis officiis se dicavit, austeram et afflictam agens vitam. Devotione eminuit erga Passionem Christi, Virginem Sanctissimam, sanctum Stanislaum episcopum et martyrem, suum patronum, ac praecipue erga Eucharistiam, quae cardinem constituit eius spiritualitatis quamque ille indefatigate sua in praedicatione tamquam culmen ostendit christianae vitae uniuscuiusque baptizati. Ab Eucharistico fonte ardentem amorem hausit in Christum et in proximum. Multi ad eum concurrebant, eius peculiari attracti charismate quod ipse in ministerio Verbi, confessionis et spiritualis moderaminis docebat; pauperes quoque et aegroti eius sollicita cura uti potuerunt. Doctrina et virtus, quibus Stanislaus Ecclesiae serviit eamque defendit tempore, quo errores Wyclif et Hus diffundebantur, suam etiam Congregationem Sanctissimi Salvatoris Lateranensis plurimum ditaverunt solidam per institutionem, quam ipse novitiis tradidit, fideliter se inspirans reformatione canonicali de Roudnice anni MCDXXII. Assiduum opus et austera vita brevi tempore eius fregerunt valetudinem. Etenim Stanislaus LVI annos natus die III mensis Maii anno MCDLXXXIX animam exhalavit. Eius exuviae in ecclesia « Corporis Christi » sunt conditae.

Fama sanctimoniae, qua in vita fruebatur, post obitum auxit praesertim ob innumeras gratias apud eius sepulcrum acceptas. Clarissimum ac genuinum signum eiusmodi famae sanctitatis constituerunt peregrinationes ad eius sepulcrum, ad quod videlicet plurimi christifideles accedebant fidenter sibi suisque auxilia et dona divina rogaturi, necnon litaniae et hymni, quos populus sua sponte in eius composuit honorem. Etiam in primis scriptis biographicis apparuit, praeter eius nomen, titulus « beatus ». Incolae Casimiriae semper excolunt eum uti suum caelestem patronum.

Die V mensis Februarii anno MCMLXXXVIII Cracoviae conclusus est Processus *super cultu ab immemorabili tempore praestito*, qui validus recognitus est per Decretum Congregationis de Causis Sanctorum die XI mensis Novembris anno MCMLXXXVIII editum. Faventes tulerunt sententias Congressus sive Peritorum Historicorum, die XV mensis Ianuarii anno MCMXC, sive Consultorum Theologorum, die V mensis Iunii anno MCMXCII, quas Patres Cardinales et

Episcopi confirmarunt super heroicis eius virtutibus in Sessione Ordinaria die I mensis Decembris anno MCMXCII. Decessor Noster beatus Ioannes Paulus II Congregationi de Causis Sanctorum facultatem tribuit ut Decretum super heroicis virtutibus et cultu ab immemorabili tempore ei praestito die XXI mensis Decembris anno MCMXCII promulgaret.

Intuitu Canonizationis, examini subiecta est Congregationis de Causis Sanctorum coniecta sanatio solius oculi Petri Komorowski, quae anno MDCXVII evenit et argumentum exstitit Inquisitionis dioecesanae in Archidioecesi Cracoviensi annis MCMXCV-MCMXCVI. Consilium Medicorum die XXIII mensis Aprilis anno MMIX agnovit huiusmodi eventum sub luce scientiae medicae inexplicabilem fuisse. Consultores Theologi, in Congressu Peculiari die VIII mensis Iulii anno MMIX, positivum iudicium emiserunt de mira sanatione intercessioni beati adscripta. Eodem modo etiam Patres Cardinales et Episcopi iudicaverunt in Sessione Ordinaria die XXIX mensis Septembris anno MMIX.

Nosmet Ipsi facultatem Congregationi de Causis Sanctorum tribuimus, ut Decretum super miraculo die XIX mensis Decembris anno MMIX promulgaret. Deinde in Consistorio die XIX mensis Februarii anno MMX decrevimus, ut ad Canonizationem beati Stanislai Kazimierczyk, sacerdotis Congregationis Sanctissimi Salvatoris Lateranensis, procederetur Romae, die XVII mensis Octobris anno MMX.

Hodie igitur in foro Petriano inter sacra hanc pronuntiavimus formulam: « Ad honorem sanctae et individuae Trinitatis, ad exaltationem fidei catholicae et vitae christianae incrementum, auctoritate Domini nostri Iesu Christi, beatorum Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra, matura deliberatione praehabita et divina ope saepius implorata, ac de plurimorum Fratrum Nostrorum consilio, beatos Stanislaum Kazimierczyk, Andream Bessette, Candidam Mariam a Iesu Cipitria y Barriola, Mariam a Cruce MacKillop, Iuliam Salzano et Baptistam Varano Sanctos esse decernimus et definimus, ac Sanctorum Catalogo adscribimus, statuentes eos in universa Ecclesia inter Sanctos pia devotione recoli debere. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti ».


Dum clari huius viri conspicimus vitam, qui Redemptorem hominum etiam variis in difficultatibus fideliter est secutus, ad altiorem usque in cotidiana vita imitationem Salvatoris incitamur.

Quae autem his Litteris decrevimus, nunc et in posterum rata et firma esse volumus, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die decimo septimo mensis Octobris, anno Domini bismillesimo decimo, Pontificatus Nostri sexto.

EGO BENEDICTUS
Catholicae Ecclesiae Episcopus

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*



Loco ✠ Plumbi
In Secret. Status tab., n. 134.857

CONSTITUTIONES APOSTOLICAE

I

DOMINAE NOSTRAE LIBANENSIS PARISIENSIS MARONITARUM

In Gallia nova conditur Eparchia Dominae Nostrae Libanensis Parisiensis Maronitarum appellanda.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

« Historia, traditiones et plurima ecclesiastica instituta praeclare testantur quantopere de universa Ecclesia Orientales Ecclesiae meritae sint » (*Orientalium Ecclesiarum*, 5). Patrimonium hoc ecclesiasticum et spirituale Nos tueri et promovere volentes, nunc singillatim de fidelibus Ecclesiae Antiochenae Maronitarum in Gallia sollicitam curam habemus. Itaque, postquam de hac re Cardinalis Praefectus Congregationis pro Ecclesiis Orientalibus rettulit, de auctoritate Nostra Apostolica novam Eparchiam sub titulo Dominae Nostrae Libanensis Parisiensis Maronitarum pro fidelibus catholicis Ecclesiae Antiochenae Maronitarum in Gallia commorantibus constituimus, cunctis factis propriis iuribus et obligationibus. Novae ecclesialis communitatis sedem in urbe Parisiensi ponimus. Ad haec perficienda consuetudines iuraque congrua serventur et quae Codice Canonum Ecclesiarum Orientalium praecipiuntur. De eodem praeterea absoluto negotio sueta documenta exarentur et ad memoratam Congregationem mittantur.

Hanc denique Constitutionem Nostram nunc et in posterum ratam esse volumus, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die uno et vicesimo mensis Iulii, anno Domini bismillesimo duodecimo, Pontificatus Nostri octavo.

✠ Tharsicius card. Bertone
Secretarius Status

Nicolaus E.-M. D. Thevenin, *Protonot. Apost.*
Franciscus Piva, *Protonot. Apost.*

Loco ✠ Plumbi
In Secret. Status tab., n. 201.693

II

BATTICALOAËNSIS

In Sri Lanka nova conditur dioecesis Batticaloaënsis.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Cum ad aeternam fovendam dominici gregis salutem in Sri Lanka eiusque regimini facilius et efficacius consulendum petitum esset nuper ut, quibusdam seiunctis territoriis a dioecesi Trincomaliensi-Batticaloaënsi, nova constitueretur dioecesis, Congregatio pro Gentium Evangelizatione, omnibus mature perpensis habitoque pariter faventibus votis eorum, quorum interest, admotam postulationem, in bonum animarum cessuram, censuit esse accipiendam. Nos igitur, Successor beati Petri et universalis Pater, talem sententiam libentes ratam habemus atque summa Apostolica Nostra potestate haec decernimus. A dioecesi Trincomaliensi-Batticaloaënsi separamus territoria regionum « Batticaloa et Ampara »; ex iisque novam condimus dioecesim *Batticaloaënsem*, quam metropolitanae Sedi Columbensi in Taprobane suffraganeam facimus atque iurisdictioni Congregationis pro Gentium Evangelizatione subicimus. Praeterea iubemus Episcopi sedem poni in civitate Batticaloaënsi templumque ibidem exstans, Beatae Mariae Virgini dicatum, praesentis dioecesis Concathedralem, ad dignitatem Cathedralis ecclesiae evehimus; cetera vero secundum canonicas leges temperentur. Quae praescripsimus perducet ad exitum Venerabilis Frater Iosephus Spiteri, Archiepiscopus titulo Sertensis et in Sri Lanka Apostolicus Nuntius, qui re acta, curabit documenta exaranda sincerisque exemplis Congregationi pro Gentium Evangelizatione mittenda.

Hanc denique Apostolicam Constitutionem nunc et in posterum ratam esse volumus, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die tertio mensis Iulii, anno Domini bismillesimo duodecimo, Pontificatus Nostri octavo.

✠ THARSICIUS card. BERTONE
Secretarius Status

Franciscus Bruno, *Protonot. Apost.*
Nicolaus E.-M. D. Thevenin, *Protonot. Apost.*

Loco ✠ Plumbi
In Secret. Status tab., n. 201.696

III

UDUPIENSIS

Nova dioecesis constituitur in India, Udupiensis appellanda.

BENEDICTUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Cunctae catholicae Ecclesiae cum praesideamus, summam curam ponimus in Evangelii salute quam latissime diffundenda, ut eiusdem beneficia et monita omnes gentes contingant cunctasque regiones. Idcirco Nos res disponere properamus ut hoc facilius commodiusque eveniat. De consilio igitur Congregationis pro Gentium Evangelizatione, suffragante Venerabili Fratre Salvatore Pennacchio, Archiepiscopo titulo Montis Marani atque in India Apostolico Nuntio, haec statuimus et decernimus. Novam dioecesim condimus *Udupiensem* appellandam, quae territoria populari loquela nuncupata Udupi, Kundapura, Karkala et ea a dioecesi Mangalorensi seiungenda, complectetur. Hanc dioecesim Metropolitanae Ecclesiae Bangalorensi suffraganeam facimus atque iurisdictioni Congregationis pro Gentium Evangelizatione subicimus. Episcopalem porro sedem in urbe ponimus, quae Udupi vocatur, et ibidem templum Deo in honorem Beatae Mariae Virginis Miracu-

lorum dicatum ad statum Cathedralis ecclesiae attollimus. Cetera secundum leges canonicas temperentur. Haec omnia ad expedienda Venerabilem Fratrem supra memoratum normasque Apostolicum Nuntium legamus, facta videlicet facultate quempiam alium virum in ecclesiastica dignitate constitutum subdelegandi.

Re tandem ad finem perducta, documenta apparentur, quorum sincera exempla ad Congregationem pro Gentium Evangelizatione diligenter mittantur, contrariis rebus minime obsistentibus quibuslibet.

Datum Romae, apud S. Petrum, die sexto decimo mensis Iulii, anno Domini bismillesimo duodecimo, Pontificatus Nostri octavo.

✠ Tharsicius card. Bertone
Secretarius Status

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*
Nicolaus E.-M. D. Thevenin, *Protonot. Apost.*

Loco ✠ Plumbi
In Secret. Status tab., n. 201.856

LITTERAE APOSTOLICAE

I

Venerabili Dei Servo Bernardo Francisco de Hoyos caelitum Beatorum tribuitur dignitas.

BENEDICTUS PP. XVI

Ad perpetuam rei memoriam. — «Videbunt in quem transfixerunt» (*Io* 19, 37).

Magnum fuit desiderium Venerabilis Dei Servi Bernardi Francisci de Hoyos, Societatis Iesu sodalis, semper Domini transfixum Cor inspiciendi, cum in eo infmitum amorem contemplaretur, necnon ceteris hominibus absconditum thesaurum demonstrandi, quem in Filii Sui Corde nobis obtulit Deus.

Bernardus Franciscus de Hoyos die XXI mensis Augusti anno MDCCXI in pago *Torrelobatón*, prope Vallisoletum, prior de duobus liberis ex nobili familia ortus est atque die V mensis Septembris baptismi aqua est ablutus. Postquam optimam institutionem suo in pago obtinuit, parentes in Collegium eum miserunt primum Nethymnae Campestris tum Villagarciae Campestris, quod utrumque Iesuitae moderabantur, ubi vitam religiosam in Societate Iesu affectavit. Ambagibus parentum itemque Provincialis superatis adiit novitiatum. Illis annis (MDCCXXVI-MDCCXXVIII) sanctus Aloisius Gonzaga et sanctus Stanislaus Kostka in sanctorum catalogum sunt relati, qui apud Iesuitarum discipulos exemplaria habiti sunt. Sed apud eum Ioannes Berchmans maius habuit pondus, cuius canonizatio eventura erat. Novitiatus et philosophiae annis eum est moderatus P. Ioannes de Loyola Societatis Iesu, eximius quidem spiritalis moderator eumque in theologica disciplina adipiscenda est comitatus, cuius curriculum in Collegio Santi Ambrosii Vallisoleti absolvit (annis MDCCXXXI- MDCCXXXV), ubi non modo magnae precationis factus est homo sed etiam mysticus. Huic Societatis Iesu sodali munus concredidit Dominus, quod eius vitae unum fuit propositum, scilicet Cordis pietatem per propriam sanctificationem et efficacem apostolatum diffundendi. Ante omnia Bernardus Iesus Christi Cordi die XII mensis Iunii anno MDCCXXXIII formula illa, quam sanctus Claudius La Colombière scripsit, sese consecravit. Agebatur autem non de gratia, qua ipse intime ac personaliter

frui debebat, sed Deus ab eo postulabat ut instrumentum fieret Cordis Christi divitias cum ceteris communicandi. Spiritali eius moderatori P. Ioanni de Loyola officium est commissum opus scribendi de essentia ac soliditate huius pietatis. Lineamenta et sensus huius libri, qui «Tesoro Escondido», id est Thesaurus Absconditus, inscribitur, die XXI mensis Octobris anno MDCCXXXIV editus, pertinebant ad Venerabilem Dei Servum Bernardum de Hoyos. Apostolatum agere solebat schidulas scriptaque diffundens, Sodalitates et Consociationes ad Sacri Cordis honorem condens, hoc argumentum ut tractaretur efficiens ac tandem ab Episcopis et Philippo V rege petens ut peculiaris diei festi condendi petitionem apud Sanctam Sedem sustinerent. Die II mensis Ianuarii anno MDCCXXXV sacro ordine Vallisoleti est auctus atque die VI mensis Ianuarii primo apud Collegium sancti Ignatii sacro litavit. Paucis post mensibus Tertiam Probationem incipiebat, quam ad finem adducere non potuit, quandoquidem typho correptus die XXIX mensis Novembris anno MDCCXXXV obiit.

Sanctitatis fama et populi pietas eius post obitum exstiterunt, sed propter Hispaniae Societatis Iesu incommodas condiciones illius temporis atque contentionem adversus Sacri Iesu Cordis devotionem Ianseniani generis, beatificationis Causa non est admota atque deinceps Ordine abolito omnia sunt silentio obruta. Cum sanctitatis fama produceretur, Vallisoletanus Episcopus annis MDCCCXCV-MDCCCXCIX Processum Ordinarium incohavit. Processus Apostolicus ab anno MCMXV ad annum MCMXIX actus est. Historici Consultores primum die XXXI mensis Martii anno MCMLXI, Consultores Theologi post in Congressione Peculiari die XXVII mensis Iunii anno MCMXCV necnon Episcopi in Sessione Ordinaria die XII mensis Decembris subsequentis de virtutibus heroum in modum exercitis sunt suffragati, ita ut Decessor Noster Venerabilis Dei Servus Ioannes Paulus II facultatem fecerit ut Congregatio de Causis Sanctorum die XII mensis Ianuarii anno MCMXCVI hac de re Decretum ederet. Omnibus iure statutis perfectis rebus, sanatio vestigata est dominae Mercedes Cabezaz Terrero, quae inexplicabilis scientifice a medicis Consultoribus die XV mensis Novembris anno MMVII est iudicata. Consultores Theologi in Congressione Peculiari die VII mensis Iulii anno MMVIII atque Patres Cardinales Episcopique in Sessione Ordinaria die XVIII subsequentis mensis Novembris faventem sententiam de sanatione Venerabili Dei Servo Bernardo Francisco de Hoyos adscripta edixerunt. Ideo Nos Ipsi facultatem fecimus ut Congregatio de Causis Sanctorum Decretum die XVII mensis

Ianuarii anno MMIX evulgaret atque statuimus ut beatificationis ritus Vallisoleti die XVIII mensis Aprilis anno MMX celebraretur.

Hodie igitur de mandato Nostro Venerabilis Frater Angelus Amato, Congregationis de Causis Sanctorum Praefectus, textum Litterarum Apostolicarum legit, quibus Nos in Beatorum numerum Venerabilem Dei Servum Bernardum Franciscum de Hoyos adscribimus:

Nos, vota Fratris Nostri Richardi Blázquez Pérez, Archiepiscopi Vallisoletani, necnon plurimorum aliorum Fratrum in Episcopatu multorumque christifidelium explentes, de Congregationis de Causis Sanctorum consulto, auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus ut Venerabilis Servus Dei Bernardus Franciscus de Hoyos, religiosus, sodalis Societatis Iesu, humilis Christi amoris testis ardensque devotionis in Sacrum Cor Iesu apostolus, Beati nomine in posterum appelletur, eiusque festum die undetricesima Novembris, qua in caelum est natus, in locis et modis iure statutis quotannis celebrari possit. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Haec vero quae statuimus firma usquequaque esse volumus ac valida fore iubemus, contrariis quibuslibet rebus minime obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XVIII mensis Aprilis, anno MMX, Pontificatus Nostri quinto.

De mandato Summi Pontificis
THARSICIUS card. BERTONE
Secretarius Status

Loco ✠ Plumbi
In Secret. Status tab., n. 116.203

II

Venerabili Servae Dei Clarae Badano Beatorum honores decernuntur.

BENEDICTUS PP. XVI

Ad perpetuam rei memoriam. — « Iesu, ego quoque desidero quod tu desideras! ».

Haec verba, quae Clara Badano arduis acerbisque momentis vitae suae repetere consueverat, eius intimam amoris cum Domino Iesu revelant necessitudinem.

Ipsa quidem nata est die XXIX mensis Octobris anno MCMLXXI in oppido *Sassello*, dioecesis Aquensis. Parentes undecim per annos exspectabant eam. Idcirco nativitas eius excepta est tamquam gratia specialis Beatissimae Virginis Mariae, quam pater eius in « Santuario delle Rocche » ferventer invocabat.

Multo amore circumdata crevit, sana, naturam amans et ludos; a pueritia dilectione erga Iesum eiusque Matrem eminuit. Singulari caritate prosecuta est « ultimos », quibus parva offerebat ministeria, otii tempus saepe recusans. Die primae communionis dono accepit Evangeliorum librum, qui « magnificus liber » exstitit illi. Asserebat enim: « Quemadmodum alphabetum faciliter discere possum, ita quoque Evangelium necessario vivere potero! ». Novem annos nata nomen dedit Motui quem dicunt Focularinum, a Clara Lubich fundato tamquam GEN (Generatio Nova), suos quoque parentes attrahens. Deinde tota vita eius fuit veluti ascensus: conata est « Deum omnibus semper praeponere » eique « semper annuere ». Dilexit studium illudque tamquam « obligationem » percepit, quam laeto serenoque animo est exsecuta, dum felicem cum suis aequalibus se gerebat. Incohata prima classe lycei, videri coepta est magis pallida et aliquantum defatigata, sed hanc condicionem praetermisit. Septemdecim annos nata, plena gaudebat vitalitate. Exeunte aestate, dum teniludio recreabatur, dolor lancinans in umero sinistro coegit eam ad reticulum de manu relinquendum. Ex tomographia quae dicitur TAC, in valetudinario S. Coronae in loco *Pietra Ligure* facta, detectum est gravius osteosarcoma cum metastasi diffusa. Die VII mensis Februarii anno MCMLXXXIX ingressa est valetudinarium Taurinense « Molinette » nuncupatum, ubi die XXVIII eiusdem mensis effecta est prima sectio chirurgica. Ipsa expergefacta est haec referens verba: « Iesu, ego quoque

desidero quod tu desideras! ». Operatione aliisque curis incassum adhibitis, malum inexorabile celeriter procedebat. Clara, haud ignara huius suae condicionis, mentem convertit ad Virginem Mariam per hoc breve scriptum: « Mater Caelestis... a Te flagito miraculum sanationis; si hoc non respondet Eius voluntati, postulo a Te necessariam fortitudinem ne umquam deficiam ». Dolores eam non retinebant. In labiis eius minime fuit lamentatio. Vultus eius gaudio splendebat et oculi erant semper fulgidi, quamquam eius valetudo magis magisque languebat: capillos amisit et crura. Mori non timuit. Tam exspectatus Sponsus venit ut duceret eam albescente die VII mensis Octobris anno MCMXC, post acerbam noctem. Matri, quae assidebat ei, omni ope demulcens frontem eius, ita susurravit: « Mater, felix esto, sicut et ego. Vale! » et in veram Vitam evolavit.

Ob vastam eius famam sanctitatis die XI mensis Iunii anno MCMXCIX in dioecesi Aquensi incohata est Inquisitio dioecesana, quae sequenti anno conclusa est die XXI mensis Augusti. Probata eius iuridica validitate die XXII mensis Iunii anno MMI, Congressus peculiaris Consultorum Theologorum die XVI mensis Novembris anno MMVII de virtutibus Servae Dei heroico more exercitis prosperum dedit votum, quod confirmaverunt etiam Patres Cardinales et Episcopi, in Sessione Ordinaria coadunati die XV mensis Martii anno MMVIII. Deinde Nos Ipsi praecepimus Congregationi de Causis Sanctorum ut Decretum promulgaret declarans Servam Dei virtutes theologales, cardinales iisque adnexas heroico in gradu exercuisse. Rite peractis omnibus iure praescriptis, Congregationi de Causis Sanctorum per praescriptum examen exhibita est rapida, totalis ac perdurans sanatio Andreae Bartole, qui sepsi meningococcica fulminanti et complicata afficiebatur. Quod mirum scientifice inexplicabile iudicatum est a medicis die XV mensis Ianuarii anno MMIX. In Congressu Peculiari Consultorum Theologorum die XX mensis Maii anno MMIX et in Sessione Ordinaria Cardinalium et Episcoporum die XV subsequentis mensis Septembris mira sanatio, divinitus patrata, tributa est intercessioni Venerabilis Servae Dei. Quapropter Congregationi de Causis Sanctorum facultatem fecimus ut Decretum super miro ederet die XIX mensis Decembris anno MMIX. Tandem illam Servam Dei beatae titulo honestandam Nos decrevimus atque statuimus ut ritus beatificationis in sanctuario Deiparae Divini Amoris Romae perageretur die XXV mensis Septembris anno MMX.

Hodie igitur in sanctuario Deiparae Divini Amoris de mandato Nostro Venerabilis Frater Angelus Amato, S.D.B., Archiepiscopus titulo Silensis, Praefectus Congregationis de Causis Sanctorum, textum Litterarum Aposto-

licarum legit, quibus Nos Venerabilem Servam Dei Claram Badano in Beatorum numerum adscribimus:

Nos, vota Fratris Nostri Petri Georgii Micchiardi, Episcopi Aquensis, necnon plurimorum aliorum Fratrum in Episcopatu multorumque christifidelium explentes, de Congregationis de Causis Sanctorum consulto, auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus ut Venerabilis Serva Dei Clara Badano, iuvenis laica, quae, plena fiducia in Dei amore posita eiusque voluntatem in unione cum Christo semper agere parata, brevem vitam suam unitati cum fratribus quaerendae dicavit, Beatae nomine in posterum appelletur, eiusque festum die undetricesima Octobris in locis et modis iure statutis quotannis celebrari possit. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Confidimus profecto hanc iuvenem christianam virginem optimo exemplo fore plurimis hominibus nostrae aetatis, praesertim puellis ac aegrotantibus, ut magna cum fiducia animique serenitate Dominum Iesum quaerant eiusque salutarem voluntatem.

Quod autem decrevimus, volumus et nunc et in posterum tempus vim habere, contrariis rebus quibuslibet non obsistentibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXV mensis Septembris, anno MMX, Pontificatus Nostri sexto.

De mandato Summi Pontificis
THARSICIUS card. BERTONE
Secretarius Status

Loco ✠ Plumbi
In Secret. Status tab., n. 134.976

III

Venerabili Dei Servae Annae Mariae Adorni caelitum Beatorum tribuitur dignitas.

BENEDICTUS PP. XVI

Ad perpetuam rei memoriam. — « Mulierem fortem quis inveniet? Longe super gemmas pretium eius » (*Prv* 31, 10).

Venerabilis Dei Serva Anna Maria Adorni fortis fuit mulier, quae inter despectos miserosque Dei amorem significans, ut religiosa in carcere detentis, deperditis feminis pupillisque suam dicavit vitam, permagna fide ac spe superans praeiudicium.

Unica Michaelis Adorni et Antoniolae Zannetti filia, Anna Maria Carolina in oppidulo *Fivizzano* apud Massam Apuanam die XIX mensis Iunii anno MDCCCV orta est. Anno MDCCCXX mortuo patre, veluti institutrix opus facere debuit. Matris obsequens voluntati, nuptias iniit atque sex liberos genuit, quorum quinque mox interierunt, Leopoldus solummodo vixit, qui deinde Ordinem Sancti Benedicti est ingressus. Cum virum amisisset anno MDCCCXLIV, primigenium suum propositum persequi statuit atque Domino suam reliquam vitam dicavit. Spiritu moderatore suadente, apud captivarum carcerem Parmensem suum incohavit apostolatum, fidei pietatisque christianae principia docens. Deinceps una cum quibusdam piis mulieribus, ut feminis, quae iam poenam pependerunt, facultas daretur societatem iterum ingrediendi, primum cubiculum conduxit eas hospitio receptura, cum stabile honestumque opus exspectarent, deinde Domum Restitutionis condidit, quae postea « Institutum Boni Pastoris » est appellata, ad similitudinem fundationis sanctae Euphrasiae Pellettier Iuliomagensis.

Orta est ideo parva familia religiosarum, quae feminis olim captivis atque deperditis consulerent. Mater Adorni eam tutelae Virginis Mariae commisit. Pars mox addita est pupillarum necnon puellarum a familiis neglectarum, quae urbem peragrabant atque vitiis facile imbuebantur, quibus Venerabilis Dei Serva magna caritate spiritalique ac materna sollicitudine mederi studebat. De Ordinarii licentia anno MDCCCLIX primae filiae in eiusdem manibus vota privata nuncuparunt atque die XXV mensis Martii anno MDCCCLXXVI Episcopus Parmensis Dominicus Villa Institutum Boni Pastoris in Congregationem religiosam sub titulo « Piae Domus Pauperum Mariae Immaculatae » convertit, et regulae die XXVIII mensis Ianuarii anno MDCCCXCIII ab

eiusdem Successore, Andrea Miotti, sunt confirmatae. Dei Serva usque caritatis operibus iuvenili animo studens, magnae fidei, prudens, humilis et aequabilis vere fuit mulier. Hilaris cum esset indolis, magnanima quidem, ad bonum procliva, operam dedit ultimis spretisque iuvandis, ut feminis in carcere detentis. Ad apostolatum agendum ex Eucharistiae amore, ad quam adorans saepenumero sistebat, necnon ex precatione vim hauriebat. Spei virtutem strenue tenuit non modo ipsa, verum etiam quod ad innumeras spe destitutas feminas, quas sua in urbana missione conveniebat. Die VII mensis Februarii anno MDCCCXCIII obiit et per tres dies exuvias visit Parmensis populus, magnam sic testans sanctitatem.

Anno MCMXL Processus Ordinarius incohatus est atque anno MCMLIII Processus Apostolicus. Theologi Consultores, in Peculiari Congressione die XXVIII mensis Iunii anno MCMLXXVII coadunati, heroicas iudicarunt eius virtutes et idem Patres Cardinales et Episcopi in Sessione Ordinaria die XIII mensis Decembris anno MCMLXXVII putarunt. Die XV mensis Decembris anno MCMLXXVII Decessor Noster Venerabilis Dei Servus Paulus VI edidit huius rei Decretum. Perfectis iure statutis rebus, sanatio quaedam vestigata est, quam Medici Consultores die XXVII mensis Novembris anno MMVIII ad scientiam inexplicabilem iudicaverunt. Theologi Consultores in Congressione Peculiari die VII mensis Martii anno MMIX hanc sanationem Venerabilis Dei Servae Sororis Annae Mariae Adorni intercessioni tribuerunt et similiter iudicarunt Patres Cardinales et Episcopi in Congressione Ordinaria die XIX mensis Ianuarii anno MMX coadunati. Rebus tunc sedule perpensis, nos igitur facultatem fecimus ut Congregatio de Causis Sanctorum Decretum de miraculo die XXVII mensis Martii eiusdem anni evulgaret. Statuimus ideo ut beatificationis ritus Parmae die III mensis Octobris anno MMX celebraretur.

Hodie igitur de mandato Nostro Venerabilis Frater Noster Angelus S.R.E. Cardinalis Amato, Congregationis de Causis Sanctorum Praefectus, textum Litterarum Apostolicarum legit, quibus Nos in Beatorum numerum Venerabilem Dei Servam Annam Mariam Adorni adscribimus:

Nos, vota Fratris Nostri Henrici Solmi, Episcopi Parmensis, necnon plurimorum aliorum Fratrum in Episcopatu multorumque christifidelium explentes, de Congregationis de Causis Sanctorum consulto, auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus ut Venerabilis Serva Dei Anna Maria Adorni, vidua, fundatrix Congregationis Ancillarum Beatae Mariae Immaculatae et Instituti Parmensis a Bono Pastore, quae vitam suam caritati impendit se humilioris ordinis hominibus vovens, Beatae nomine in posterum

appelletur, eiusque festum die septima Februarii in locis et modis iure statutis quotannis celebrari possit. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Quod autem decrevimus, volumus et nunc et in posterum tempus vim habere, contrariis rebus minime quibuslibet officientibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die III mensis Octobris, anno MMX, Pontificatus Nostri sexto.

De mandato Summi Pontificis
THARSICIUS card. BERTONE
Secretarius Status

Loco ✠ Plumbi
In Secret. Status tab., n. 146.930

HOMILIA

In Assumptione Beatae Mariae Virginis.*

Cari fratelli e sorelle,

il 1º novembre 1950, il Venerabile Papa Pio XII proclamava come dogma che la Vergine Maria « terminato il corso della vita terrena, fu assunta alla gloria celeste in anima e corpo ». Questa verità di fede era conosciuta dalla Tradizione, affermata dai Padri della Chiesa, ed era soprattutto un aspetto rilevante del culto reso alla Madre di Cristo. Proprio l'elemento cultuale costituì, per così dire, la forza motrice che determinò la formulazione di questo dogma: il dogma appare un atto di lode e di esaltazione nei confronti della Vergine Santa. Questo emerge anche dal testo stesso della Costituzione apostolica, dove si afferma che il dogma è proclamato « ad onore del Figlio, a glorificazione della Madre ed a gioia di tutta la Chiesa ». Venne espresso così nella forma dogmatica ciò che era stato già celebrato nel culto e nella devozione del Popolo di Dio come la più alta e stabile glorificazione di Maria: l'atto di proclamazione dell'Assunta si presentò quasi come una liturgia della fede. E nel Vangelo che abbiamo ascoltato ora, Maria stessa pronuncia profeticamente alcune parole che orientano in questa prospettiva. Dice: « D'ora in poi tutte le generazioni mi chiameranno beata ».[1] È una profezia per tutta la storia della Chiesa. Questa espressione del *Magnificat*, riferita da san Luca, indica che la lode alla Vergine Santa, Madre di Dio, intimamente unita a Cristo suo figlio, riguarda la Chiesa di tutti i tempi e di tutti i luoghi. E l'annotazione di queste parole da parte dell'Evangelista presuppone che la glorificazione di Maria fosse già presente al periodo di san Luca ed egli la ritenesse un dovere e un impegno della comunità cristiana per tutte le generazioni. Le parole di Maria dicono che è un dovere della Chiesa ricordare la grandezza della Madonna per la fede. Questa solennità è un invito quindi a lodare Dio, e a guardare alla grandezza della Madonna, perché chi è Dio lo conosciamo nel volto dei suoi.

Ma perché Maria viene glorificata con l'assunzione al Cielo? San Luca, come abbiamo ascoltato, vede la radice dell'esaltazione e della lode a Maria

* Die 15 Augusti 2012.

[1] *Lc* 1, 48.

nell'espressione di Elisabetta: « Beata colei che ha creduto ».[2] E il *Magnificat,* questo canto al Dio vivo e operante nella storia è un inno di fede e di amore, che sgorga dal cuore della Vergine. Ella ha vissuto con fedeltà esemplare e ha custodito nel più intimo del suo cuore le parole di Dio al suo popolo, le promesse fatte ad Abramo, Isacco e Giacobbe, facendone il contenuto della sua preghiera: la Parola di Dio era nel *Magnificat* diventata la parola di Maria, lampada del suo cammino, così da renderla disponibile ad accogliere anche nel suo grembo il Verbo di Dio fatto carne. L'odierna pagina evangelica richiama questa presenza di Dio nella storia e nello stesso svolgersi degli eventi; in particolare vi è un riferimento al *Secondo libro di Samuele* nel capitolo sesto,[3] in cui Davide trasporta l'Arca Santa dell'Alleanza. Il parallelo che fa l'Evangelista è chiaro: Maria in attesa della nascita del Figlio Gesù è l'Arca Santa che porta in sé la presenza di Dio, una presenza che è fonte di consolazione, di gioia piena. Giovanni, infatti, danza nel grembo di Elisabetta, esattamente come Davide danzava davanti all'Arca. Maria è la « visita » di Dio che crea gioia. Zaccaria, nel suo canto di lode lo dirà esplicitamente: « Benedetto il Signore, Dio di Israele, perché ha visitato e redento il suo popolo ».[4] La casa di Zaccaria ha sperimentato la visita di Dio con la nascita inattesa di Giovanni Battista, ma soprattutto con la presenza di Maria, che porta nel suo grembo il Figlio di Dio.

Ma adesso ci domandiamo: che cosa dona al nostro cammino, alla nostra vita, l'Assunzione di Maria? La prima risposta è: nell'Assunzione vediamo che in Dio c'è spazio per l'uomo, Dio stesso è la casa dai tanti appartamenti della quale parla Gesù;[5] Dio è la casa dell'uomo, in Dio c'è spazio di Dio. E Maria, unendosi, unita a Dio, non si allontana da noi, non va su una galassia sconosciuta, ma chi va a Dio si avvicina, perché Dio è vicino a tutti noi, e Maria, unita a Dio, partecipa della presenza di Dio, è vicinissima a noi, ad ognuno di noi. C'è una bella parola di San Gregorio Magno su San Benedetto che possiamo applicare ancora anche a Maria: San Gregorio Magno dice che il cuore di San Benedetto è divenuto così grande che tutto il creato poteva entrare in questo cuore. Questo vale ancora più per Maria: Maria, unita totalmente a Dio, ha un cuore così grande che tutta la creazione può entrare in questo cuore, e gli *ex-voto* in tutte le parti della terra lo dimostrano. Maria è vicina,

[2] *Lc* 1, 45.
[3] 6, 1-15.
[4] *Lc* 1, 68.
[5] Cfr *Gv* 14, 2.

può ascoltare, può aiutare, è vicina a tutti noi. In Dio c'è spazio per l'uomo, e Dio è vicino, e Maria, unita a Dio, è vicinissima, ha il cuore largo come il cuore di Dio.

Ma c'è anche l'altro aspetto: non solo in Dio c'è spazio per l'uomo; nell'uomo c'è spazio per Dio. Anche questo vediamo in Maria, l'Arca Santa che porta la presenza di Dio. In noi c'è spazio per Dio e questa presenza di Dio in noi, così importante per illuminare il mondo nella sua tristezza, nei suoi problemi, questa presenza si realizza nella fede: nella fede apriamo le porte del nostro essere così che Dio entri in noi, così che Dio può essere la forza che dà vita e cammino al nostro essere. In noi c'è spazio, apriamoci come Maria si è aperta, dicendo: «Sia realizzata la Tua volontà, io sono serva del Signore». Aprendoci a Dio, non perdiamo niente. Al contrario: la nostra vita diventa ricca e grande.

E così, fede e speranza e amore si combinano. Ci sono oggi molte parole su un mondo migliore da aspettarsi: sarebbe la nostra speranza. Se e quando questo mondo migliore viene, non sappiamo, non so. Sicuro è che un mondo che si allontana da Dio non diventa migliore, ma peggiore. Solo la presenza di Dio può garantire anche un mondo buono. Ma lasciamo questo. Una cosa, una speranza è sicura: Dio ci aspetta, ci attende, non andiamo nel vuoto, siamo aspettati. Dio ci aspetta e troviamo, andando all'altro mondo, la bontà della Madre, troviamo i nostri, troviamo l'Amore eterno. Dio ci aspetta: questa è la nostra grande gioia e la grande speranza che nasce proprio da questa festa. Maria ci visita, ed è la gioia della nostra vita e la gioia è speranza.

Cosa dire quindi? Cuore grande, presenza di Dio nel mondo, spazio di Dio in noi e spazio di Dio per noi, speranza, essere aspettati: questa è la sinfonia di questa festa, l'indicazione che la meditazione di questa Solennità ci dona. Maria è aurora e splendore della Chiesa trionfante; lei è la consolazione e la speranza per il popolo ancora in cammino, dice il Prefazio di oggi. Affidiamoci alla sua materna intercessione, affinché ci ottenga dal Signore di rafforzare la nostra fede nella vita eterna; ci aiuti a vivere bene il tempo che Dio ci offre con speranza. Una speranza cristiana, che non è soltanto nostalgia del Cielo, ma vivo e operoso desiderio di Dio qui nel mondo, desiderio di Dio che ci rende pellegrini infaticabili, alimentando in noi il coraggio e la forza della fede, che nello stesso tempo è coraggio e forza dell'amore. Amen.

ALLOCUTIO

Ad episcopos nuper consecratos.*

Cari Fratelli,

sono lieto di incontrami con voi, riuniti a Roma per il corso di formazione dei Vescovi di recente nomina, promosso dalla Congregazione per l'Evangelizzazione dei Popoli. Saluto cordialmente il Cardinale Fernando Filoni, Prefetto del Dicastero, e lo ringrazio per le cortesi parole che mi ha rivolto anche a nome vostro. Saluto Mons. Savio Hon Tai-Fai e Mons. Protase Rugambwa, Segretario e Segretario Aggiunto della Congregazione; a loro e a quanti contribuiscono alla buona riuscita del Seminario esprimo la mia riconoscenza. Questo corso si svolge in prossimità dell'Anno della fede, un dono prezioso del Signore alla sua Chiesa per aiutare i battezzati a prendere coscienza della propria fede e a comunicarla a quanti non ne hanno ancora sperimentato la bellezza.

Le comunità di cui siete Pastori in Africa, Asia, America Latina ed Oceania, pur in situazioni differenti, sono tutte impegnate nella prima evangelizzazione e nell'opera di consolidamento della fede. Di esse percepite le gioie e le speranze, come pure le ferite e le preoccupazioni, similmente all'apostolo Paolo, che scriveva: «Sono lieto delle sofferenze che sopporto per voi e do compimento a ciò che, dei patimenti di Cristo, manca nella mia carne, a favore del suo corpo che è la Chiesa».[1] E aggiungeva: «Per questo mi affatico e lotto, con la forza che viene da lui e che agisce in me con potenza».[2] Nel vostro cuore sia sempre salda la fiducia nel Signore; la Chiesa è sua, ed è Lui che la guida sia nei momenti difficili, che di serenità. Le vostre comunità sono quasi tutte di recente fondazione, e presentano i pregi e le debolezze legati alla loro breve storia. Mostrano una fede partecipata e gioiosa, vivace e creativa, ma spesso non ancora radicata. In esse l'entusiasmo e lo zelo apostolico si alternano a momenti di instabilità e incoerenza. Emergono qua e là frizioni ed abbandoni. Tuttavia, sono Chiese che vanno maturando grazie all'azione pastorale, ma anche al dono di quella *communio sanctorum*, che

* Die 7 Septembris 2012.

[1] *Col* 1, 24.

[2] v. 29.

consente una vera e propria osmosi di grazia tra le Chiese di antica tradizione e quelle di recente costituzione, oltre che, prima ancora, tra la Chiesa celeste e quella pellegrinante. Da qualche tempo si registra una diminuzione dei missionari, bilanciata, però, dall'aumento del clero diocesano e religioso. La crescita numerica di sacerdoti autoctoni produce pure una nuova forma di cooperazione missionaria: alcune giovani Chiese hanno iniziato ad inviare propri presbiteri a Chiese sorelle sprovviste di clero nel medesimo Paese o in nazioni dello stesso Continente; è una comunione che deve animare sempre l'azione evangelizzatrice.

Le giovani Chiese costituiscono, dunque, un segno di speranza per il futuro della Chiesa universale. In tale contesto, cari Fratelli, vi incoraggio a non risparmiare forza e coraggio per una solerte opera pastorale, memori del dono di grazia che è stato seminato in voi nell'ordinazione episcopale, e che si può riassumere nei *tria munera* di insegnare, santificare e governare. Abbiate a cuore la *missio ad gentes*, l'inculturazione della fede, la formazione dei candidati al sacerdozio, la cura del clero diocesano, dei religiosi, delle religiose e dei laici. La Chiesa nasce dalla missione e cresce con la missione. Fate vostro l'appello interiore dell'Apostolo delle genti: «*Caritas Christi urget nos*».[3] Una corretta inculturazione della fede vi aiuti ad incarnare il Vangelo nelle culture dei popoli e ad assumere ciò che di buono vive in esse. Si tratta di un processo lungo e difficile che non deve in alcun modo compromettere la specificità e l'integrità della fede cristiana.[4] La missione richiede Pastori configurati a Cristo per santità di vita, prudenti e lungimiranti, pronti a spendersi generosamente per il Vangelo e a portare nel cuore la sollecitudine per tutte le Chiese.

Vigilate sul gregge, avendo un'attenzione specifica per i sacerdoti. Guidateli con l'esempio, vivete in comunione con loro, siate disponibili ad ascoltarli e ad accoglierli con paterna benevolenza, valorizzando le loro diverse capacità. Impegnatevi ad assicurare ai vostri sacerdoti specifici e periodici incontri di formazione. Fate sì che l'Eucaristia sia sempre il cuore della loro esistenza e la ragion d'essere del loro ministero. Abbiate sul mondo di oggi uno sguardo di fede, per comprenderlo in profondità, ed un cuore generoso, pronto ad entrare in comunione con le donne e gli uomini del nostro tempo. Non mancate alla vostra prima responsabilità di uomini di Dio, chiamati alla preghiera e al servizio della sua Parola a vantaggio del gregge. Si possa dire

[3] *2 Cor* 5, 14.
[4] Cfr Enc. *Redemptoris missio*, 52.

anche di voi quanto il sacerdote Onia affermò del profeta Geremia: « Questi è l'amico dei suoi fratelli, che prega molto per il popolo e per la città santa ».[5] Tenete lo sguardo fisso su Gesù, il Pastore dei pastori: il mondo di oggi ha bisogno di persone che parlino a Dio, per poter parlare di Dio. Solo così la Parola di salvezza porterà frutto.[6]

Die 19 mensis Iulii anno 1936 sic dicti «milites rubri» tota in Catalonia crudeli ultione irruerunt in omnes qui se catholicos profitebantur, praesertim erga sacerdotes et religiosos. Hac in condicione etiam Servus Dei est implicatus qui, ut suorum sociorum vitam servaret, palatium episcopale Illerdense reliquens, absconderet se debuit. Sequenti die 22 mensis Iulii, post Missam celebratam, vestimentis saecularibus indutis, habitationes adiit quorundam parentum ostiarii Sedis Episcopalis; attamen advertens se propria praesentia grave periculum illi familiae inferre posse, decrevit, vespertino tempore diei 23 mensis Iulii, duobus custodibus civilibus se tradere ut in custodiam Illerdensem adduceretur. Dum vinculis tenebatur serenitatem usque servavit et mansuetudinem, semper versans in actu orationis et pietatis atque cum sedulitate et humilitate pastorale exercens ministerium pro spiritali bono sociorum carceris.

Die 5 mensis Augusti episcopus Salvius sua ex cella est sublatus ut in Barcinonem transferretur. Attamen reapse, simul cum aliis custodiae sociis, in coemeterium municipale Illerdense est adductus ut ferociter occideretur. Servus Dei, cum suam intellegeret sortem, humiliter quaesivit ut postremus occideretur; etenim de confirmandis cogitabat et benedicendis aliis damnatis qui cum illo adstabant. Custodes ferociter in eum ob odium fidei adorti sunt, conclusa crudeli exsecutione, corpus eius in foveam communem proiecerunt in ipso coemeterio perfossam.

Fidelis populus statim mortem Episcopi veluti verum habuit martyrium et, ob hanc famam, a die 8 mensis Iunii anni 1947 ad diem 2 mensis Maii anni 1950 Processus Informativus actus est, cuius iuridica validitas a Congregatione de Causis Sanctorum per Decretum die 9 mensis Iunii anno 1995 est recognita. Parata *Positione*, de asserto martyrio Servi Dei, ad normam, disceptatum est. Die 4 mensis Decembris anno 2009 habitus est, positivo cum exitu, Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum. Patres Cardinales et Episcopi in Sessione Ordinaria quam ego, Card. Angelus Amato praesedi die 12 mensis Aprilis anno 2011, audita relatione Ponentis Cause, Eminentissimi Domini Francisci Cardinalis Arinze, agnoverunt Servum Dei, ad fidelitatem Christo Ecclesiaeque servandam, martyrium sustinuisse.

De hisce omnibus rebus, referente subscripto Cardinale Praefecto, certior factus, Summus Pontifex Benedictus XVI, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de martyrio eiusque causa Servi Dei Salvii Huix Mirapleix, Episcopi Illerdensis, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 27 mensis Iunii A. D. 2011.

ANGELUS Card. AMATO, S.D.B.
Praefectus

L. ✠ S.

✠ MARCELLUS BARTOLUCCI
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

ROMANA

Beatificationis et Canonizationis Servae Dei Aloisiae Tincani, Fundatricis Unionis a S. Catharina Senensi Missionariarum a Schola (1889-1976)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

«Sicut misit me Pater, et ego mitto vos» (*Io* 20, 21).

«Pauperes evangelizantur» (*Mt* 11, 5).

His verbis Serva Dei Aloisia Tincani animadvertit se praecipue vocari ad proximi inopiae compatiendum et ad pauperrimos inter pauperes veritate et amore evangelizandos.

Theatino in oppido nata die 25 Martii anno 1889, minima quinque filiorum, Serva Dei a matre ad profundam pietatem instituta est et a patre, vero magistro et curatore studiorum, amorem erga scholam et diligentiam in officiis perficiendis didicit. Crebro locum una cum familia mutavit, commorans primum Cunei, postea Bononiae, Messanae, Romae, patris officii causa. Quapropter homines et facta intelligere didicit discretionemque iudicii acquisivit necnon sollicitudinem erga proximum a Deo dilectum, itaque Divina Providentia eam ad munus proprium paravit.

Primis saeculi vigesimi annis, Bononiae Dominicanae familiae loca frequentavit et professa est se omnino concordem esse cum doctrina spiritus Sancti Dominici et Sanctae Catharinae Senensis. Illo tempore Serva Dei religiosam vocationem percepit. «Cum primum intellexi quis sit Deus, nihil aliud facere potui quam ut me ipsam totaliter Ei offerrem», sicut saepe eadem postea dictitabat. Orationi et studio diligenter vacavit. Romae Universitatem frequentavit, Mediolani autem in Universitate Catholica philosophiae doctor renuntiata est. Pedagogiam et philosophiam ad mentem Sancti Thomae Aquinatis diligentissime docuit. In cursu vitae et meditationis suae, scholam et cultores sapientiae semper habuit ut locum praecipuum Christiani ministerii et muneris, in quo datur *intellectuali caritate* respondere ad veritatis inquisitionem, quae plus minusve scienter iuvenes urget. Cum inter vitam contemplationis et vitam apostolatus ambigebat, solutionem invenit in illo antiquo principio Dominicanae doctrinae, scilicet *contemplata aliis tradere.* Patris Ludovici Fanfani sapientissimo consilio et moderatione, orationem fundavit super agnitionem sui in conspectu Trinitatis, in familiaritatem

cum Christo in Evangelio, in oblationem et silentium sui usque ad holocaustum, denique in laetitiam.

Circa se congregatis iuvenibus, quae cum ea universitatem frequentabant et idem vitae consilium et sensus percipiebant, anno 1924 fundavit *Unionem a S. Catharina Senensi Missionariarum a Schola,* instituens singulare religiosae vitae regimen, quod in saeculo degitur, ad veritatem fovendam publicis in scholis et in ceteris socialis vitae locis, ubi veritas saepe dissimulabatur et fides impugnabatur. Ad bene coniungendam stabilitatem monasticam cum agilitate apostolica, Fundatrix domuum duplex genus excogitavit, primum ad institutionem, orationem et studium, alterum vero ad apostolatum in saeculo fovendum. Haec nova fundatio primum per auctoritatem dioecesanam anno 1924, postea per *decretum laudis* anno 1934, deinde certe et definite anno 1943 adprobata est.

Magnum ministerium Ecclesiae Serva Dei praebuit, sedentibus pontificibus Pio XI, Pio XII, Ioanne XXIII et Paulo VI, ad laicorum institutionem et apostolicam actuositatem in Ecclesia promovendas impigre cooperavit. Maximo fervore opus Foederationis catholicorum in Universitatibus Italicis studentium (FUCI) suscepit, ad instituendas iuvenes quae universitates frequentabant; diligenter curavit ut christiana institutione roborarentur mulieres quae ad liberales professiones et politicos cursus applicaturae essent.

Quo magis schola catholica proficeret, institutionem religiosarum per multas adinventiones curavit, inter quas eminuit fundatio Universitatis Mariae SS. Assumptae, quae hodie vulgo nuncupatur *Libera Università Maria Santissima Assunta*. Progrediente Concilio et sequenti tempore, novum regimen christiani testimonii in saeculo sororibus suis commendavit, ut iuvenum et familiarum necessitates curarent et iis qui Deum ignorarent se proximas facerent.

Spiritualis imago Aloisiae Tincani manifestabat in eius vita praecipuum et constantem principatum Dei, qui in ea assiduum desiderium sanctitatis excitabat. Eius fides, probata et sui conscia, forti animo et congruenti significabatur; laetitia omnes actus eius praediti erant. Indoles eius comis et semper ad fiduciam proclivis spei et caritatis virtute corroborabatur. Cotidianum Servae Dei testimonium constans fuit exercitium omnium virtutum oratione contemplationeque fultum. Miro quodam modo illa vehementer animadvertit amorem et studium Evangelii, cuius divitias ipsa ministrabat in eruditos et in mulierum dignitatem sustinentes.

Sicut per annos maioris actuositatis Serva Dei a Sancto Spiritu ducebatur, sic eadem heroica mansuetudine omnes dolores suae extremae aegrotationis pro Ecclesia, Pontifice et iuvenibus obtulit, confidens omnibus conatibus et hominum sermonibus plus valere illud certamen, quod ipsa perpetua oblatione sui certaverat. Romae die 31 mensis Maii anno 1976 obdormivit in Domino.

Fama Sanctitatis, qua vita claruit, iuxta Vicariatum Urbis Inquisitio dioecesana inchoata est die 21 mensis Novembris anno 1987 et conclusa die 6 mensis Iulii anno 2000. Die 15 mensis Martii anno 2002 per Decretum eiusdem Inquisitionis iuridica validitas a Congregatione de Causis Sanctorum est approbata. Exarata *Positione*, disceptatum est secundum consuetudines an Serva Dei virtutes heroum in modum excoluisset. Die 15 mensis Iunii anno 2010, positivo cum exitu, Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum habitus est. Patres Cardinales et Episcopi in Sessione Ordinaria congregati, Ponente Causa Em.mo Domino Cardinale Francisco Monterisi, agnoverunt Servam Dei virtutes theologales, cardinales eisque adnexas heroum in modum excoluisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Benedicto XVI per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, iisque adnexis, in gradu heroico, Servae Dei Aloisiae Tincani, Fundatricis Unionis a S. Catharina Senensi Missionariarum a Schola, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 27 mensis Iunii A. D. 2011.

Angelus Card. Amato, S.D.B.
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Marcellus Bartolucci
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

CRACOVIENSIS

Beatificationis et Canonizationis Servae Dei Sophiae Maciejowska-Czeska, Fundatricis Congregationis Virginum a Praesentatione Beatae Mariae Virginis (1584-1650)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

« Spes autem non confundit, quia caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis. [...] Commendat autem suam caritatem Deus in nos, quoniam, cum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est » (*Rom* 5, 5. 8).

Praeconii alacritas beati Pauli apostoli vitam et spiritualitatem Servae Dei Sophiae Maciejowska-Czeska summopere enarrat, quae enim Dei et proximi caritatem universae suae conversationis in mundo habuit fontem et culmen, necnon Passionem Christi atque exemplum Virginis Mariae solidum firmamentum.

Serva Dei anno 1584 in vico Resurrecto in Polonia nata est e nobillimi ordinis familia christiana pietate penitus firmeque imbuta. Sub lare iam inde a pueritia dignitati suae congruentem institutionem recepit et, anno 1600, dum decimum septimum aetatis agebat annum, nobilis viri Ioannis Czeski uxorem ducta est. Anno 1602, iuvenis Sophia in Archiconfraternitate a Misericordia in ecclesia Cracoviae Deo in honorem Sanctae Barbarae dicatae accepta est et, Patribus e Societate Iesu in rebus spiritualibus moderantibus, in fide ac pietate mirabiliter processit.

Anno 1607, viro praemature orbata, etsi iuvenis aetate doteque dives, in novas nuptias nullomodo concedere decrevit, ut totam potius vitam operibus caritatis ac misericordiae, praesertim pro orphanarum pauperumque puellarum bono, consecraret. His in benignis erga derelictos navitatibus, quae volventibus annis percrebruerunt, Sophia sese quasi divino afflatu animadvertit ductam. Omnia, igitur, bona et divitias renuntiavit, ut inter annos 1621 et 1627 Institutum sub titulo Domus Virginum a Praesentatione Beatissimae Mariae Virginis suscitaret pro iuvenibus puellis egentissimis hospitio excipiendis et christiana doctrina instituendis. Huic caritatis operi mysterii Praesentationis Beatae Mariae Virginis selegit exemplum, spe

rapta omnes, ut voluntatem Dei admodum adimplerent, integrae suipsius oblationis consilio vivere posse. Hanc novam Archiepiscopus Cracoviensis approbavit fundationem, cuius canonicam vero adnuit erectionem.

Officia Superiorissae Sophia exercens, necnon magistrae et moderatricis, concivium summam adepta est aestimationis dignitatem. Nam, mulier fuit in universis puellarum necessitatibus omnino prompta, quarum, profunda devotione erga Eucharistiam et Beatam Mariam Virginem suffulta, indefesse ac pertinaciter agebat curam. Indolem eius prudentia, fortitudine humilitateque informatam intimus sensus fidei corroborabat, quo intellectus Dei in operibus creatis, in varietatibus mundi et in ipsius vita immanentis semper vividius in ea vigebat. Numquam coram angustiarum certaminibus se abiecit, sed misericordi divinae Providentiae amplexui laetanter indulsit. Deum praeter omnia maxime dilexit, cuius caritatem erga fratres verbis operibusque effecit. His, quae praedicavit ac confessa est, mandatis virtutibusque rationes institutionis constanter subiecit.

Mater Sophia die 1 mensis Aprilis anno 1650 Cracoviae pie in Domino quievit, persuasissimum multis corde habentibus se aliquam comperisse Sanctam, quae virtutes exercuit in constanti et confidenti suipsius in manus Divinae Providentiae oblatione.

Ob eius sanctitatis famam Causa Beatificationis et Canonizationis apud Curiam Archiepiscopalem Cracoviensem inita est per celebrationem Inquisitionis dioecesanae a die 1 mensis Aprilis anno 1995 ad diem 20 mensis Novembris anno 1997, cuius auctoritas et vis iuridica a Congregatione de Causis Sanctorum die 30 mensis Martii anno 1998 probatae sunt. *Positione* confecta, die 14 mensis Martii anno 2006, in Sessione Consultorum Historicorum, exhibito a Postulatione die 18 mensis Maii eiusdem anni efflagitato supplemento rationis, et, die 11 mensis Martii anno 2011, in Congressu Peculiari Consultorum Theologorum prospero cum exitu disceptatum est, iuxta consuetudinem, an Serva Dei more heroum virtutes christianas exercuisset. Patres Cardinales et Episcopi in Sessione Ordinaria diei 7 mensis Iunii anno 2011, audita relatione Em.mi ac Rev.mi D. Stanislai Cardinalis Ryłko, Causae Ponentis, professi sunt Servam Dei virtutes theologales, cardinales iisque adnexas in modum heroum exercuisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Benedicto XVI per infrascriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens,

hodierno die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine iisque adnexis in gradu heroico Servae Dei Sophiae Maciejowska-Czeska, Fundatricis Congregationis Virginum a Praesentatione Beatae Mariae Virginis, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 27 mensis Iunii A. D. 2011.

Angelus Card. Amato, S.D.B.
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Marcellus Bartolucci
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

ROMANA et CUERNAVACENSIS

Beatificationis et Canonizationis Ven. Servae Dei Mariae Agnetis-Teresiae a Sanctissimo Sacramento (in saec.: Emmanuelae a Iesu Arias Espinosa), Fundatricis Congregationum Missionariarum Clarissarum a SS.mo Sacramento et Missionariorum a Christo pro Universa Ecclesia (1904-1981)

DECRETUM SUPER MIRACULO

Venerabilis Serva Dei Maria Agnes Teresia a SS.mo Sacramento, in saeculo Emmanuela a Iesu Arias Espinosa, in oppido *Ixtlán del Rio* in Mexico die 7 mensis Iulii anno 1904 ortum habuit e parentibus christiana fide penitus ditatis. Paulo post viginti aetatis annos, propositum perfecit se Domino in clausura vovendi et anno 1929 Angelopoli in California monasterium Clarissarum ab Ave Maria ingressa est. Sequenti anno primam religiosam professionem et anno 1933 perpetuam votorum professionem emisit. Sedecim annos nata, Venerabilis Serva Dei in silentio claustrali, in oratione, in opere et in sacrificio vitam fideliter gessit, dum suo in corde missionarium desiderium nutriebat. Persentiens a Domino vocari ad altam contemplationem cum missionario apostolatu nectendam, licentiis rite praehabitis, Mater Maria Agnes et quinque consorores Cuernavacam se contulerunt, ut fundamenta iacerent experientiae contemplativae et missionariae, quae procedente tempore appellata est Congregatio Missionariarum Clarissarum a Sanctissimo Sacramento. Venerabilis Serva Dei die 22 mensis Iulii anno 1981 piissime in Domino obdormivit. Die 3 mensis Aprilis anno 2009 Summus Pontifex Benedictus XVI eius heroicas declaravit virtutes.

Eius beatificationi consulens, Postulatio Causae iudicio huius Congregationis de Causis Sanctorum miram submisit coniectam sanationem infantuli Francisci Xaverii Carrillo Guzmán. Etenim die 17 mensis Iunii anno 2001 Guadalaiarae in Mexico, infans, unius anni et trium mensium aetatis, in piscinam cecidit. Condicio valetudinis infantis, cui confestim auxilium datum est, gravissima evenit: spumam enim ore fundebat, animo omnino defecit, vigore orbabatur eiusque totum corpus violaceum videbatur. Avia eius, quae noverat Venerabilem Servam Dei, quam etiam amore ac veneratione prosequebatur, statim ut pergrave cognovit infortunium, Matrem Agnesem invocavit, flagitans eius intercessionem pro nepotuli sanatione; deinde Missiona-

rias Clarissas de re certiores fecit, ut in easdem se sociarent supplicationes ad Matrem Fundatricem effundendas. Parentes quoque infantis, necessarii et amici iisdem interfuerunt precibus. Status aegrotuli sequentibus diebus ita ad desperationem adduci videbatur, ut medici edicerent spem vitae exiguam esse et infantem gravibus pathologiis neurologicis obnoxium fore si a veterno expergisceretur.

Die 23 mensis Iunii Missionariae Clarissae, quae ipso illo die quinquagesimam recolebant anniversariam memoriam a condita Congregatione, de hortatu Moderatricis Generalis, Dominum deprecatae sunt in eucharistica celebratione ut, per Matris Agnetis intercessionem, Franciscum Xaverium sanaret. Imago photographica et particula reliquiarum Venerabilis Servae Dei ad pulvinar infirmi sunt appositae. Sequenti die infans, stupentibus sive medicis sive familiaribus ibi adstantibus, convalescere coepit, stimulis respondere, membra movere et absque auxilio respirare. Ex subsequentibus clinicis et neurologicis inquisitionibus detectum est infantem plenam obtinuisse sanationem et ab omni defectu physico vel neurologico ereptum esse. Adversus omnem praevisionem, infirmitas nullam reliquit notabilem sequelam.

Temporis congruentia evidens exstitit inter supplicationes ad Venerabilem Servam Dei et sanationem Francisci Xaverii Carrillo Guzmán, qui in praesens bona fruitur valetudine et facultate vitam necessitudinis ad normam gerendi.

De hac sanatione, tamquam mira iudicata, apud Curiam Archidioecesanam Guadalaiarensem a die 26 mensis Octobris ad diem 4 mensis Novembris anno 2002 instructa est Inquisitio dioecesana, cuius validitatem approbavit haec Congregatio per Decretum die 28 mensis Novembris anno 2003 editum. Medicorum Dicasterii Consilium in Sessione diei 27 mensis Maii anno 2010 agnovit sanationem celerem, perfectam, constantem et sub lumine hodiernae scientiae medicae inexplicabilem fuisse. Die 15 mensis Ianuarii anno 2011 actus est Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum et die 21 mensis Iunii eiusdem anni Patres Cardinales et Episcopi in Ordinaria Sessione se congregarunt, Ponente Causae Exc.mo D.no Xaverio Echevarría Rodríguez, Episcopo tit. Cilibiensi. Et in utroque Coetu, sive Consultorum sive Cardinalium et Episcoporum, posito dubio an de miraculo divinitus patrato constaret, responsum affirmativum prolatum est.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Benedicto XVI per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua,

vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de miraculo a Deo patrato per intercessionem Venerabilis Servae Dei Mariae Agnetis Teresiae a Sanctissimo Sacramento (in saec.: Emmanuelae a Iesu Arias Espinosa), Fundatricis Congregationum Missionariarum Clarissarum a SS.mo Sacramento et Missionariorum a Christo pro Universa Ecclesia, videlicet de celeri, perfecta ac constanti sanatione pueri Francisci Xaverii Carrillo Guzmán, a « grave sindrome asfittica da pre-annegamento in acqua dolce e successivo arresto cardiorespiratorio con danno cerebrale e insufficienza multi-organo ».*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 27 mensis Iunii A. D. 2011.

Angelus Card. Amato, S.D.B.
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Marcellus Bartolucci
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

ANTANANARIVENSIS

Canonizationis Beati Iacobi Berthieu, Sacerdotis Professi Societatis Iesu Martyris (1838-1896)

DECRETUM SUPER MIRACULO

Beatus Iacobus Berthieu die 27 mensis Novembris anno 1838 in loco vulgo *Polminhac*, in Francogallia, e quadam agricolarum familia, est natus. Expletis curriculis apud Fratres Scholarum Christianarum, die 21 mensis Maii anno 1863 presbyter est ordinatus. Sequi decernens vocationem religiosam et missionariam, ad quam vocatum se sentiebat, Societatem Iesu est ingressus. Anno 1875 veluti missionarius in Madagascariam est missus, in insulam Sanctae Mariae, ubi sex permansit annos, minime suis viribus parcens in catechesi tradenda, in sacramentis administrandis, in aegrotis

curandis atque in indigenis promovendis. Varios ob politicos eventus, Beatus coactus est alia deinde loca adire, semper profunde in vitam loci sese inserens. Consectaria subiit insurrectionis praedonum qui, adversus colonos Franco-gallicos agentes, vicos percurrebant terrorem incutientes et destructionem; illi, praeterea, iudicabant missionarios ita agere ut divinitates et amuleta omni virtute privarentur; hanc ob rationem, ab illis se liberare conabantur. Beatus, dum suos christianos a pagis profugos comitaretur, a rebellibus captus est qui eum saepe invitabant ut fidem abiuraret ad vitam suam servandam. Recusavit Christum tradere et Ecclesiam; quapropter in *Ambiatibe* die 8 mensis Iunii anno 1896 occisus est eiusque corpus in numen Mananara eiectum. Servus Dei Paulus VI die 17 mensis Octobris anno 1965 beatificavit eum.

Postulatio Causae, Servi Dei canonizationi prospiciens, examini huius Congregationis de Causis Sanctorum coniectam miram subiecit sanationem domini Ioannis Francisci Regis Randriamiadana, qui, vespere diei 22 mensis Septembris anni 1990, occasione data prandii nuptiarum, veneficam bibit potionem lento cum effectu. Signa statim apparuerunt nempe debilitas, febris, ariditas faucium, dolores ventris, incapacitas mandendi, effatio. Interventio medici atque usus consuetae medicinae Madagascariensis irritum sortitae sunt effectum. Infirmus, qui incapax erat se nutriendi, magis magisque in peiore condicione versabatur ita ut mors instare videretur.

Hoc in rerum contextu in locum *Tsaramasoandro* est translatus, ubi aquam bibit fluminis Mananara, vocatam «aqua de Berthieu», et habitam veluti miram eo quod corpus Beati, post martyrium, in huiusmodi flumen est proiectum. Eodem tempore parentes Ioannis Francisci Régis et etiam ipse infirmus intercessionem invocaverunt huius martyris Iesuitae. Perinde ac aquam bibere coepit, infirmus signa manifestavit melioris condicionis; et quamvis tres menses versaretur in periculo vitae, aliquot post dies, se nutrire regulariter potuit et valetudinis condicio celeriter et in melius pregressa est.

Congruentia temporis evidens apparuit inter invocationem ad Beatum nec non sanationem Ioannis Francisci Régis, qui deinde fausta fruitus est valetudine, aptus ad vitam normalis necessitudinis gerendam.

De hac sanatione, quae mira est habita, a die 3 mensis Martii ad diem 28 mensis Augusti anni 2005 apud Curiam ecclesiasticam Antananarivensem Inquisitio dioecesana est instructa, cuius iuridicam validitatem haec Congregatio per decretum die 24 mensis Novembris anno 2006 approbavit. Consilium Medicorum Dicasterii prius se congregavit die 23 mensis Octobris

anno 2008, ac deinde, ut examinaret alia documenta a Postulatione tradita, die 7 mensis Maii anno 2009: declaravit denique sanationem celerem, perfectam, constantem, et ex hodiernis scientiae legibus inexplicabilem fuisse. Die 15 mensis Iulii anno 2009 Peculiaris Congressus habitus est Consultorum Theologorum; quem Congressum alia secuta est Sessio die 21 mensis Maii anno 2011. Patres Cardinales et Episcopi in Sessione ordinaria die 8 mensis Novembris anno 2011 se congregaverunt, coram me, Card. Angelo Amato, praesidente, Causae Ponente Excellentissimo Domino Sigismundo Zimowski, Archiepiscopo emerito Radomensi. Et in utroque Coetu, sive Consultorum sive Cardinalium et Episcoporum, posito dubio an de miraculo divinitus patrato constaret, responsum affirmativum prolatum est.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Benedicto XVI per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodie declaravit: *Constare de miraculo a Deo patrato per intercessionem Beati Iacobi Berthieu, Sacerdotis professi e Societate Iesu, Martyris, videlicet de celeri, perfecta ac constanti sanatione domini Ioannis Francisci Régis Randriamiadana a « xerostomia da ingestione di sostanza tossica, con grave deperimento delle condizioni generali del paziente e stato cachettico, durata tredici settimane »*.

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 19 mensis Decembris A. D. 2011.

Angelus Card. Amato, S.D.B.
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Marcellus Bartolucci
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

TRECENSIS

Beatificationis et Canonizationis Ven. Servi Dei Aloisii Brisson, Sacerdotis Fundatoris Oblatorum et Oblatarum S. Francisci Salesii (1817-1908)

DECRETUM SUPER MIRACULO

Venerabilis Servus Dei Aloisius Brisson die 23 mensis Iunii anno 1817 ortus est Planceii in Gallia. Alumnus Seminarii dioecesani Trecensis, die 19 mensis Decembris anno 1840 presbyteratu auctus est. Pluribus magistri pastoralis rei muneribus, fervida interiore semper supereminens vita, functus est. Quadraginta annos ministerium exercuit Cappellani Monialium Visitandinarum, quas Sanctus Franciscus de Sales fundaverat, et Congregationem sacerdotem, scilicet Oblatorum Sancii Francisci Salesii, quae anno 1897 canonicam recognitionem adepta est. Multa iniit opera pro iuvenibus mulieribus opitulandis atque operariis instituendis, primitias Instituti Oblatarum Sancti Francisci Salesii suscitans, anno 1890 a Summo Pontífice Leone XIII iure recogniti. Arduae in ipsum et in opera eius, ineunte saeculo XX, conciderunt angustiae, cum leges Reipublicae obstrinxerunt, ut universae puerorum iuvenumque institutioni et Verbi Dei praedicationi deditae resolverentur Congregationes eorumque bona in publicum proscriberentur. Venerabilis Servus Dei, aetate iam provectus, Planceium secessit, ubi actuosam utriusque Congregationis spiritualis moderationis navitatem excepit atque altissimam vixit intellegentiam Crucis, quam renovata fide in Domino expertus est. Admodum corpore infractus ac valetudine laborans, die 2 mensis Februarii anno 1908 pie in Domino quievit. Summus Pontifex Benedictus XVI die 19 mensis Decembris anno 2009 Servum Dei virtutes in modum heroum coluisse decrevit.

Beatificationis respectu, Causae Postulatio iudicio huius Congregationis de Causis Sanctorum assertam subiecit miram sanationem pueri Caroli Aloisii Peñaherrera Cattani, qui in vico *Alausi* in Aequatoria, mense Iunii anno 1953, dum intra muros officinae paternae administrabat, infandi sceleris cecidit victima, cum rota ferrea unius metri fere ad demetientem lineam pedem eius dexterum profundum in cute exarans vulnus tutudit, duos dígitos obtrivit et primam allicis phalangem discerpsit. In valetudinario receptum, condiciones generales salutis sive ob porrectam laesionem sive propter peri-

culum contagionis adeo graves visae sunt, ut etiam post chirurgicam sectionem puer, qui interdum domum redierat, acerbissimis corriperetur doloribus.

Iam vero postridie sceleris, amita quaedam Caroli Aloisii de hoc fato Sorores Oblatas Sancti Francisci Salesii admonuerat, quarum scholae infirmulus erat alumnus. Atqui novitiarum magistra, quae reliquiam reverendi fundatoris Aloisii Brisson secum habebat, familiae proposuit, ut supplicationibus novendialibus ad divinum confugerent auxilium, ut per intercessionem Venerabilis Servi Dei sanationem pueri apud Deum impetrarent. Eadem die, reliquia pedi vulnerato adiecta, preces suas iugiter adhibere qui aderant coeperunt, religiosae scilicet familiaresque et infirmus necnon et amicus quidam eorundem, qui, christianae pietati omnino indifferens, orationem spectaverat ac tanta eorum fide admodum perfructus erat. Qui ceterum orationes suas interea fundere ferventer perseveraverunt. Enimvero, illis deinceps diebus, valetudo infirmi ita ac valde aliter quam quod similibus conspici adsolet in casibus proficere coepit, ut intra undecimum diem ab infausto Carolus Aloisius plenum resumeret usum pedis ac, nullo superstite dolore, usitatae deambulationis facultatum.

Continuatio temporis clarissime patuit, sicut et nexus inter invocationern Servi Dei et completam Caroli Aloisii sanationem, qui exinde optima gavisus est valetudine normalesque posthac vitae consuetudines gerere valuit.

De hac mira habita sanatione apud Curiam Archiepiscopalem Guayaquilensem in Aequatoria a die 20 mensis ¡unii ad diem 27 mensis Iulii anno 1981 Inquisitio Dioecesana celebrata est, cuius auctoritas et vis iuridica a Congregatione de Causis Sanctorum decreto diei 7 mensis Martii anno 2008 probatae sunt. Acta dein collecta examini et iudicio Medicorum Collegii Dicasterii subiecta sunt, quod in Sessione diei 10 mensis Februarii anno 2011 una voce ac sententia sanationem rapidam, completam, duraturam et inexplicabilem secundum hodiernam scientiam medicam fuisse affirmavit. Die 7 mensis Iunii anno 2011, Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum prospero cum exitu factus est ac die 13 mensis Decembris anno 2011 Sessio Ordinaria Patrum Cardinalium et Episcoporum, Ponente Causae Eminentíssimo ac Reverendissimo Domino Conrado Cardinale Koch, et in utroque coetu sive Consultorum sive Cardinalium et Episcoporum, posito dubio an de miraculo divinitus patrato constaret, responsum affirmativum prolatum est.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Benedicto XVI per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno

die declaravit: *Constare de miraculo a Deo patrato per intercessionem Venerabilis Servi Dei Aloisii Brisson, Sacerdotis ac Fundatoris Oblatorum et Oblatarum Sancii Francisci Salesii, videlicet de celeri, perfecta ac constanti sanatione pueri Caroli Aloisii Peñaherrera Cattani a « schiacciamento e spappolamento della I falange dell'alluce del piede destro con frattura comminuta esposta e mortificazione dei tessuti molli; frattura delle falangi del II e III dito ».*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 19 mensis Decembris A. D. 2011.

Angelus Card. Amato, S.D.B.
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Marcellus Bartolucci
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

CONGREGATIO PRO EPISCOPIS

PROVISIO ECCLESIARUM

Latis decretis a Congregatione pro Episcopis, Sanctissimus Dominus Benedictus Pp. XVI, per Apostolicas sub plumbo Litteras, iis quae sequuntur Ecclesiis sacros praefecit Praesules:

die 8 Augusti 2012. — Cathedrali Ecclesiae Campinae Grandis, Exc.mum P. D. Emmanuelem Delson Pedreira da Cruz, hactenus Episcopum Caicoënsem.

die 9 Augusti. — Cathedrali Ecclesiae Meldensi, Exc.mum P. D. Ioannem Ivonem Nahmias, hactenus Episcopum titularem Himerensem et Auxiliarem archidioecesis Parisiensis.

DIARIUM ROMANAE CURIAE

Il Santo Padre Benedetto XVI ha ricevuto in Udienza Ufficiale per la presentazione delle Lettere Credenziali:

Giovedì, 6 settembre, S. E. la Signora Irena Vaišvilaitė, Ambasciatore di Lituania.

SEGRETERIA DI STATO

NOMINE

Con Brevi Apostolici il Santo Padre Benedetto XVI ha nominato:

4 agosto 2012 S.E.R. Mons. Paul Tschang In-Nam, Arcivescovo titolare di Amanzia, finora Nunzio Apostolico in Uganda, *Nunzio Apostolico in Thailandia ed in Cambogia e Delegato Apostolico in Myanmar ed in Laos.*

18 » » S.E.R. Mons. Giuseppe Lazzarotto, Arcivescovo titolare di Numana, finora Nunzio Apostolico in Australia, *Nunzio Apostolico in Israele e Delegato Apostolico in Gerusalemme e Palestina.*

30 » » S.E.R. Mons. Giuseppe Lazzarotto, Arcivescovo titolare di Numana, Nunzio Apostolico in Israele e Delegato Apostolico in Gerusalemme e Palestina, *Nunzio Apostolico in Cipro.*

Con Biglietti della Segreteria di Stato il Santo Padre Benedetto XVI ha nominato:

22 giugno 2012 Il Rev.do Cornelius Afebu Omonokhua, Direttore del Dipartimento per il Dialogo Interreligioso del *Catholic Secretariat of Nigeria*; i Rev.di Padri: Amir Jaje, O.P., Segretario della Commissione Episcopale per il Dialogo Interreligioso dell'Assemblea dei Vescovi Cattolici dell'Iraq; Felix Körner, S.I., Docente di Teologia delle Religioni presso la Pontificia Università Gregoriana; gli Ill.mi Signori: Prof.ssa Rotraud

Wielandt, Docente di Studi Islamici presso l'Università di Bamberg (Rep. Federale di Germania); Prof. Ian Netton, Vice-Direttore di Studi Arabi e Islamici presso l'Università di Exeter e Docente di Studi Islamici a Sharjah - Emirati Arabi Uniti (Gran Bretagna); Sig.ra Romana Bashir, Responsabile dei Programmi del *Christian Study Centre - C.S.C.* in Rawalpindi (Pakistan), *Consultori della Commissione per i Rapporti Religiosi con i Musulmani, presso il Pontificio Consiglio per il Dialogo Interreligioso « ad quinquennium »*; e ha confermato il Rev.do Andrea Pacini e l'Ill.mo Prof. Lamin Sanneh, *Consultori della medesima Commissione per i Rapporti Religiosi con i Musulmani « in aliud quinquennium »*.

10 luglio 2012 Sua Beatitudine Fouad Twal, Patriarca di Gerusalemme dei Latini; gli Ecc.mi Mons.: Pedro Ricardo Barreto Jimeno, S.I., Arcivescovo di Huancayo (Perú); Yves Boivineau, Vescovo di Annecy (Francia); Michele Pennisi, Vescovo di Piazza Armerina (Italia); Stephan Ackermann, Vescovo di Trier (Rep. Federale di Germania), *Membri del Pontificio Consiglio della Giustizia e della Pace « ad quinquennium »*; il Rev.do Bonnie Mendes, Coordinatore Regionale della Caritas dell'Asia e Direttore Esecutivo della Società per lo Sviluppo Umano (Pakistan), *Membri del medesimo Dicastero « usque ad octogesimum annum »*; gli Ill.mi Signori: Dott. Rodrigo Guerra López, Direttore del *Centro di Ricerca Sociale Avanzata - CISAV* (Messico); Dott. Fayez Georges Nahal, Direttore di Contabilità e Bilancio della *Confederation of African Football - CAF* (Egitto); Dott. Juan Somavia, Direttore Generale dell'*Organizzazione Internazionale del Lavoro - ILO* presso l'Ufficio delle Nazioni Unite a Ginevra (Cile); Dott.ssa Hania M. Fedorowicz, Direttore della Formazione presso l'Istituto Europeo *Community Based Conflict Resolution - CBCR* in Salisburgo (Austria); Dott.ssa Marie-Madeleine Kalala, Avvocato, Membro del *Panel of the Wise* dell'Unione Africana (Rep. Democratica del Congo); Prof.ssa Roza Pati, Docente di Diritto e Direttore Esecutivo del Corso di Laurea in Diritti Umani Interculturali presso la *St. Thomas University School of Law* di Miami (Stati Uniti d'America); Dott.ssa Elizabeth Joyce Villars, fondatrice dell'Azienda *Camelot Ghana Ltd* (Ghana), *Membri del medesimo Dicastero « ad quinquennium »*; e i Rev.di Mons.: Peter Klasvogt, Direttore dell'Istituto di Studi Sociali *Kommende* di Dortmund (Rep. Federale di Germania); Mons. Martin Schlag, Professore di Teologia Morale presso la Pontificia Università della Santa Croce (Stati Uniti d'America); Mons. Giovanni Manzone, Professore di Dottrina Sociale della Chiesa e Teologia Morale presso la Pontificia Università Lateranense (Italia); Paolo Carlotti, S.D.B.,

Professore di Teologia Morale presso la Pontificia Università Salesiana (Italia); gli Ill.mi Signori: Dott. Lawrence Archibald Honny, Presidente della Commissione Giustizia e Pace dell'Arcidiocesi di Cape Coast (Ghana); Prof. Paul Murray, Direttore del Centro Studi Cattolici e Docente di Teologia Sistematica presso la *Durham University* (Gran Bretagna); Prof. Nicolas Michel, Docente di Diritto Internazionale presso la Facoltà di Giurisprudenza dell'Università di Ginevra (Svizzera); Prof. Manfred Spieker, Docente di Scienze Sociali Cristiane presso l'Istituto di Teologia Cattolica dell'Università di Osnabrück (Rep. Federale di Germania); Prof. Takaaki Pio Yasuoka, Presidente di *International Life Commission (International Catholics Organisation of the Media - ICOM)* (Giappone), *Consultori del medesimo Pontificio Consiglio della Giustizia e della Pace «ad quinquennium»*; e ha confermato: gli Em.mi Signori Cardinali: Oscar Andrés Rodríguez Maradiaga e George Pell; gli Ecc.mi Monsignori: Tadeusz Kondrusiewicz e Héctor Rubén Aguer; gli Ill.mi Signori: Dott. Michel Camdessus, Prof. Raymond Ranjeva, Dott.ssa Mary Yuen Mee-Yin, *Membri del Pontificio Consiglio della Giustizia e della Pace «in aliud quinquennium»*; e la Rev.da Sr. Helen Alford, O.P.; la Prof.ssa Simona Beretta; il Rev.do P. Sergio Bernal Restrepo, S.I.; il Prof. Stefano Zamagni, *Consultori del medesimo Pontificio Consiglio della Giustizia e della Pace «in aliud quinquennium»*.

24 luglio 2012 Il Rev.do Mons. Piero Amenta, finora Officiale presso la Congregazione per il Culto Divino e la Disciplina dei Sacramenti, *Prelato Uditore del Tribunale della Rota Romana.*

27 » » L'Em.mo Signor Cardinale George Pell, Arcivescovo di Sydney, *Membro della Congregazione per i Vescovi.*

4 agosto » Il Rev.do Padre Leonardo Sapienza, R.C.I., finora Officiale della Prefettura della Casa Pontificia, *Reggente della medesima Prefettura.*

10 » » Il Rev.do Sac. Andrea Palmieri, finora Officiale del Dicastero, *Sotto-Segretario del Pontificio Consiglio per la Promozione dell'Unità dei Cristiani.*

20 » » L'Ecc.mo Mons. Bruno Forte, Arcivescovo di Chieti-Vasto, *Membro del Pontificio Consiglio della Cultura «in aliud quinquennium».*

31 » » Gli Ecc.mi Mons.: Alessandro Carmelo Ruffinoni, Vescovo di Caxias do Sul (Brasile) e Vjekoslav Huzjak, Vescovo di Bjelovar-Križevci (Croazia), *Membri del Pontificio Consiglio della Pastorale per i Migranti e gli Itineranti «ad*

quinquennium »; e i Rev.di Mons.: Giancarlo Perego, Direttore Generale della Fondazione Migrantes della Conferenza Episcopale Italiana; Giacomo Martino, Coordinatore dell'Ufficio Migrantes dell'arcidiocesi di Genova, *Consultori del medesimo Pontificio Consiglio della Pastorale per i Migranti e gli Itineranti « ad quinquennium »*; e confermato gli Ecc.mi Mons.: Dominique Mamberti e Joseph Ngô Quang Kiêt, *Membri del Pontificio Consiglio della Pastorale per i Migranti e gli Itineranti « in aliud quinquennium »*; e il Rev.do Sac. Giorgio Rizzieri, *Consultore dello stesso Pontificio Consiglio « in aliud quinquennium »*.

NECROLOGIO

14	agosto	2012	Mons. Hervé-Marie Le Cléac'h SS.CC., Vescovo em. di Taiohae o Tefenuaenata (*Polinesia*).
21	»	»	Mons. Paul Bassim, O.C.D., Vescovo tit. di Laodicea (*Libano*).
22	»	»	Sua Em.za il Card. Paul Shan Kuo-hsi, S.J., del Tit. di S. Crisogono.
»	»	»	Mons. José Foralosso, S.D.B., Vescovo em. di Marabá (*Brasile*).
»	»	»	Rev. P. András Szennay, O.S.B., Abate em. di Pannonhalma (*Ungheria*).
23	»	»	Mons. Paul Cheng Shih-Kuang, Vescovo em. di Tainan (*Cina*).
25	»	»	Mons. Eduardo Koaik, Vescovo em. di Piracicaba (*Brasile*).
»	»	»	Mons. Aurélio Granada Escudeiro, Vescovo em. di Angra, (*Portogallo*).
27	»	»	Mons. Louis Ncamiso Ndlovu, O.S.M., Vescovo di Manzini, (*Swaziland*).
28	»	»	Mons. Paschal William Kikoti, Vescovo di Mpanda, (*Tanzania*).
»	»	»	Mons. Maffeo Giovanni Dùcoli, Vescovo em. di Belluno-Feltre, (*Italia*).
»	»	»	Sua Em.za il Card. Carlo Maria Martini, del Tit. di S. Cecilia.
31	»	»	Mons. Lucas Luis Dónnelly, Vescovo Prelato em. di Deán Funes, (*Argentina*).
1	settembre	»	Mons. Joseph Banchong Aribarg, Vescovo em. di Nakhon Sawan (*Tailandia*).
4	»	»	Mons. Heleno Hélio Gonçalves, Vescovo em. di Caratinga, (*Brasile*).